1140 g. i.
6

Judicium de ſomniis *eſt* Medico utile.

LUmine quid feſſo medicorum ſcripta pererras?
Quid verſas *Coi* dogmata ſacra *Senis?*
Quid juvat antiquum multa jam nocte *Galenum*
Quòd te volventem ſera lucerna videt:
Dum morbum quæris, ſic perdere velle ſalutem
Quis furor, & mortem ſic properare tuam?
Longâ nocte ſtudens aliis producere vitam
Deſine, ſtulte, tuos abbreviare dies.
Qui jacet, ille ſuum poterit ſentire dolorem,
Atque ſibi *Hippocrates* hactenus alter erit,
Ille ſuos Manes patitur per ſomnia, dum mens
Cogitur uſque ſuis invigilare malis.
Somnia quæ *veros* æquant *imitamine morbos*
Sollicitum vexant nocte ruente caput:
Arida dum miſeros febris depaſcitur artus,
Et jecur, *Ætnæo* non minor, *ignis* edit,
Somniat *Empedoclem* ſemet ductâſſe, videtur
Torridus *Ætneas* ire redire vias.
Aut *Phaetontæos* credens ſe ſcandere *currus*,
Per calidum ignivomos æthera flectit equos:
Vitrea ſi calido tumeat ſub pectore *bilis*,
Fervidus & *Choleræ* bulliat igne ſinus,
Hoſtes, arma crepat, per Amica ſilentia noctis,
Atque ipſos ſomnos irrequietus agit:
Humorum vario cerebrum quàm fluctuat æſtu?
Frigida cùm nimium viſcera *Phlegma* gelat,
Stagna, lacus, amnes, & latum proſpicit æquor
Anxius, ínque vado naufragus horret aquas;
Quámque ſemel tantùm poterit tranare paludem,
Sæpiùs horrendam ſe putat ire viam:

ERGO,

Artemidore tuas Medicus pervolvere chartas
Diſcat, & uſque tuum dextra fatiget opus;
Unus ſic meritò viciſſe *Machaonas* omnes,
Parcarum & poterit ſiſtere fila trium,
Flectere ſic ſolitum curſum irremeabilis undæ;
Denique *Onirocrites*, ſic erit *Hippocrates*.

Non datur Venenum *quod* determinato *tempore* interficiat.

QUis novus inventor ſcelerũ, mortíſq; magiſter,
Vivendi docuit certos præſcribere fines,
Quos ultrà citráque nequit perſiſtere fatum?
Jam *Medea* tuas meritò contemnimus artes,
Canidiæ vetulæ velocia toxica ridet
Nequitiâ antiquis ſeclis inſtructior ætas.
Simplicius ſcelus eſt inopinâ perdere morte,
Et dubium incerto fatum accelerare veneno,
Mortem *Ægyptiacæ Reginæ* infirmior *Aſpis*
Præſentem dedit, *Annibalis* circumtulit orbi
Annulus incluſum fatum, nec notior ille (non
Scriptis, quàm morte eſt, *calamus Demoſthenis*: at
Imperium ſic fata ſuum amiſêre, ſororum
Ut *Triadi* dixiſſe diem, præſcribere certas
Ut *Parcis* horas liceat, mandaréque votis
Ad nutum noſtris ut fata ſequacia ducant;
Temporis articulo & quo juſſimus, ocyùs omnes
Inviſum properent inimici abrumpere filum:
Unde ſui nôrunt juſſus *aconita* Magiſtri?
Certo ut ſufficiat jecur ipſis tempore, venas
Cyaneas fœdo videat lux poſtera tabo
Turgere, & tandem poſtquam jejunia longa
Egerit, inſanum ſerpat per viſcera virus,
Feſtinétque omnes citiùs depaſcier artus:
Unde fit ut *Cordis* poteris noviſſe receſſus?
Pectoris arcanas aut inviſiſſe latebras?
Quî poteris *Choleræ* luctas vidiſſe, calore
Frigora dum gelidæ certat viciſſe cicutæ?
Quis dedit horarum metiri puncta! calenti
Frigidior quando cedat *Pituita* Veneno.

ERGO,

Deſine, jam lento vitam torquere *Veneno*,
Fatorúmque moras Themiſon abrumpere, juſtis
Et liceat *totos Parcis* evolvere *Fuſos*,
Nè toties diſſecta aliorum fila, tenaci
Et certo tandem ſtringant tua guttura nodo.

Julii 7. 1663. In die Comitiorum, Reſpondente M^ro Brown,
Bacc. Med. Coll. Trin.